DE

JODI EFFECTU ATQUE USU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. MARTII A. MDCCCXLVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLPHUS VOGEL

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

TH. KLOZ, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

R. TEGENER, MED. ET CHIR. DR.

H. ZIERENBERG, JUR. ET CAMER. CAND.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

AVUNCULO CARISSIMO,

SUMME DE SE MERITO

EDUARDO BERGER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, SEXTAE CHILIADIS EQUITUM LORICATORUM MEDICO PRIMARIO ETC.

AC

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS, SUMMOPERE VENERANDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PARS PRIMA.

Jodi effectus physiologicus.

De vi, quam Jodum in salubrem organismum habeat, Magendie, Orfila, Seiler, magnis usi dosibus, experimenta in animalibus instituerunt, quorum effectus valde inter se discrepant; Joerg autem et amici, parvis tantum singulisque dosibus semel intra binos ternosve dies usi tincturae Jodi vim experti sunt; quibus experimentis quaecunque observata sunt, ea Joerg in libro: „Materialien zu einer künftigen Heilmittellehre durch Versuche erläutert" descripsit. Quae viri illi repererunt, ea magni sunt momenti, quum plures medici simul eodem praeparato, eadem dosi uno eodemque tempore usi sint, et maxime dolendum est, quod alii illam, quam Joerg ingressus est, viam non inierunt, quum hoc tantum modo verus medicamentorum effectus physiologicus satis explorari possit.

§. 1.

Effectus primarius.

Imaginem, quam Joerg delineavit, plerumque secutus, vim, quam Jodum exerceat, parvis dosibus per breve tempus adhibitis, exponendi periculum faciam. Joerg et amici tinctura Jodi usi sunt, quo in praeparato Jodi puri grana quadraginta octo in spiritus vini rectificatissimi uncia solvebantur; hujus tincturae dosin a guttis duabus usque ad guttas quindecim auxerunt, singulis dosibus aquae destillatae uncia una et dimidia addita. Omnes illi viri, qui duce Joerg experimentorum illorum participes erant, in eo consentiunt, pro primaria Jodi vi eam habendam esse, ut medicamento systema chylopoeticum, ab initio usque ad finem tubi intestinalis irritetur. Salso et insipido sapore est tinctura, aqua diluta; aqua non addita acrem et adstrictum habet saporem, brevi urentem. Inde a lingua Jodi vis in singulis systematis chylopoetici partibus, quam medicamentum tangit, dilucide sese ostendit. Statim postquam viri illi tincturam sumserunt, in tonsillis et in pharynge dolorem urentem et rodentem ceperunt, qui dolor siti vehementissimae et creberrimae cessit. In ventriculo primum dolores haud raro exorti sunt, nec minus intestini tenuis motus peristalticos auctos senserunt, praesertim circa umbilicum; mox autem doloribus desinentibus calor exortus est, qui sedem in ventriculo habere videbatur, qua ex parte radii quasi per totum corpus extendebantur. Talia, quae modo descripta sunt, symptomata Joerg ipse octo guttarum dosi usus sensit.

Simul cum tubi intestinalis partibus organa etiam in cavo pectoris sita corripiebantur; in cordis regione viri oppressionem senserunt, quo factum est, ut inspiratio et exspiratio moleste tantum fieri posset. Majores doses pungens dolor ac tussis continua secuta est, quae quidem symptomata ab omnibus animadversa non sunt.

Quam vim Jodum in intestina tenue et crassum habeat, ex auctis secessibus patet, ita ut parvas illas doses tres quatuorve sedes sequerentur, quibus semper dolor quidam haud gravis, urens circa anum praesto erat. Joerg sensum, qui tincturam Jodi in alvo sequitur, plerumque jucundum ac medicaminis bonam vim hisce describit verbis: „Intestina a faecibus purgat, sed dolores urentes vel pungentes non existunt; tantum abest, ut medicamen alvi meteorismum vel auctum sanguinis affluxum efficiat, quae quidem symptomata multa alia medicamenta amara et acria sequuntur, ut illa symptomata minuat et auferat." Omnes famem brevi tempore post sumtam tincturam valde augeri animadverterunt.

Joerg symptomata illa, de quibus modo diximus, inde venire opinatur, quod ab intestini parietibus mucus quidam, salivae vel succo pancreatico similis, secernatur, cujus rei analogiam sine ulla dubitatione ex vi deduxit, quam Jodum in membranas mucosas glandularum salivarium, narium, conjunctivae, laryngis exserit. Jodum unicum, quantum constat, est medicamen, quod statum coryzae similem profert, vernacule „Jodschnupfen" dictum, cujus initium aucta narium secretio facit. Glandularum salivarium secretio uberior fit, nonnullis in casibus uberrima, nec minus vis illa in conjunctiva bulbi, vicina illa membrana mucosa, cum membrana Schneideriana in-

time conjuncta, atque in sinibus frontalibus apparet. Tali modo cephalaeam illam, de qua Joerg verba facit, gastricam interpretari potes.

Experimenta, quae Orfila in semet ipso instituit, non sufficiunt, quum plerumque vomitus secutus sit. Primum jejuno ventriculo grana duo sumsit, sed praeter saporem teterrimum nihil incommodi sensit. Postero die quatuor haustis granis statim oesophagi constrictionem et ardorem, quartam horae partem tenentes, percepit, quo facto materiem liquidam et flavam vomuit, in qua Jodum facile detectum est; tertio die sex granis sumtis pharyngem constrictam et ardentem sensit, paulo post ructus, nausea, salivatio ad dolores supra ventriculum exstiterunt; sed elapsis decem horae minutis vomitio ingens materiae biliosae et affectiones colicae mitiores venerunt, quae duobus enematibus applicatis cesserunt. Jodi vis in singulas corporis functiones propter vomitum manifeste apparere non potuit, qua de causa Orfilae illa experimenta parvi tantum pretii sunt. —

Joerg etiam Jodi effectum in systema uropoeticum et in organa sexualia commemorat. Urina uberius ac crebrius reddebatur singulique vehementem mingendi impetum animadvertebant, quare aucti pelvis cavitatem versus motus exsistebant. Attamen major urinae copia potius e siti aucta pependisse videtur, et auctos vesicam urinariam versus motus e faecibus rectum versus propagatis interpretari licet. — Quod quidem ad effectum in organa sexualia attinet, illa excitata esse Joerg dicit, cui opinioni experimenta a Dr. Dietrich instituta conveniunt, qui Kali hydrojodico usus somnum profundum et crebras pollutiones secutas esse observavit; hac in

re tamen uniuscujusque indoli propriae corporisque constitutioni multa tribuenda sunt. E pollutionibus repetitis solis organa sexualia irritari explicare non licet. Inferiore autem loco de effectu, quem majores doses in systemata illa habeant, sermo erit.

§. 2.

Effectus secundarius.

Ille, quem modo vidimus, primarius Jodi effectus est, qui parvas doses per breve tantum tempus adhibitas excipit. Cujus medicaminis majoribus singulisque convenientibus dosibus longius sumtis secundarius effectus in systemate vasculoso apparet, minus in arterioso, quum maximas tantum doses pulsus frequens sequatur, magis in venoso et lympathico. Resorptio augetur, quod partim e nonnullorum organorum, praesertim glandulosorum, atrophia orta, partim ex corporis macie incautum usum sequente, partim e deminutis partibus antea hypertrophicis atque induratis satis patet.

Glandularum mammae potissimum et testes sunt, in quas Jodum vim exercet, quae quidem auctoribus nonnullis testibus tanta est, ut atrophia oriatur. Res adhuc sub judice est, nam sunt qui contendant, Jodo mammas majores reddi et organa sexualia irritari, unde factum est, ut Jodum medicamentis aphrodisiacis adnumeretur, et fontes medicati Heilbrunnenses adversus mulierum sterilitatem laudentur. Viri illi Jodum per brevius tempus adhibuerunt: sane irritantur illa organa, sed longiore medicaminis usu irritatio tanta fit, ut perferri non possit, quare effectus ille irritans aut prorsus desinit, aut

atrophia vel testium vel ovariorum vel mammarum evadere potest. Sed tantum abest, ut illa atrophia apparere debeat, ut Jodi usus per longius tempus et in viris et in feminis metuendus esse non videatur.

Magis aperte, quam in corpore sano, resorptionis vim in morbis auctam videmus', praesertim in quibus partes hypertrophicas et induratas, prae ceteris glandulosas, imminuere et mollire nostrum est, qua quidem vi primum Jodum medicaminum numero adscriptum est. Inferius ubi de cachexia jodica et de usu therapeutico agendum est, hanc rem latius et copiosius expositam invenies.

In aliam etiam corporis partem Jodi effectus extenditur, dico in epidermidem atque in crines. Saepe enim medici, Jodo usi, exanthema animadvertunt, quod sive maculis roseis, confluentibus, paululum elatis, sive papulis componitur, quas papulas rosea areola circumdat. Exanthema plerumque singulas tantum corporis partes, frontem, pectus, abdomen occupat; rarius supra totam corporis superficiem propagatur. Duobus diebus praeterlapsis papularum apices pure implentur, quo facto exanthema siccum fit et sine cicatricibus evanescit. Erythema fortasse hic memorare licet, quod saepe externum usum unguenti e kali hydrojodico parati sequitur, cujus rei tamen causam in adipe suillo dissoluto invenire potes. — Aeque atque in epidermide etiam in crinibus medici Anglici rarioribus in casibus effectum repererunt. Crinis antea siccus et asper medicaminis usu splendens ac mollis factus est.

Quod attinet ad effectum in animum, maximis dosibus per longius temporis spatium incaute et negligenter sumtis

signa in systemate nervorum et centrali et peripherico nec minus in musculis apparent, unde systema illud turbatum esse patet. Directum in cerebrum effectum Jodi parvae doses secundum experimenta non habent. Cephalaea illa, supra commemorata gastrica est, et dolores praetereuntes, quos singuli in nonnullis capitis partibus senserunt, alia etiam medicamenta, tubum intestinalem irritantia insequuntur. Neque Joerg, neque amici capitis depressionem seu temulentiam perceperunt, literisque studere semper apti erant, quamquam experimenta aestate valde calida instituta sunt. Nec rem contrariam, auctam animi hilaritatem, aut Joerg aut Dietrich senserunt. — Non est quod miremur, quod in singulis iisque raris casibus Jodi usum brevi symptomata secuta sint, nervorum systema turbatum indicantia; causam in idiosyncrasia quaerere licet, qua fit, ut nonnulli homines a Jodi usu quasi abhorreant. Similia etiam, aliis adhibitis medicamentis observata sunt, quae res, cujus interna causa oculis nondum patet, pro regula habenda non est. Raros, quos inveni casus, Durr, Schmidt, Neumann narrant. Durr puellae undecim annorum, tenerae et infirmae unguentum kali hydrojodinici infricari jussit, sed brevi remedium illud seponere coactus est, quum vehementissimae convulsiones, epilepticis similes, exstiterint. Schmidt in femina tenera, complures per dies tinctura Jodi propter strumam sanandam usa, haecce vidit symptomata: palpitationes cordis, vertiginem, spasmum musculorum faciei, maciem permagnam, anorexiam, agrypniam. Neumann feminam, ex eadem causa Jodo usam, iterum atque iterum a febri corripi vidit, quacum febri subsultus tendinum et carphologia conjungebantur.

§. 3.

Effectus explicatio.

Jam, qua ratione Jodum vim modo descriptam expromat, agendum est. Jodum resorberi et a sanguine excipi satis constat, quum in secretis et in excretis, potissimum in urina detectum sit. Medicamen enim, cujus rei infra mentionem faciam, tamquam acidum hydrojodicum in salium basibus occurrit; ex his excludi potest, quod quidem optime ita perficitur, ut humor explorandus acido nitrico ad aciditatem usque impraegnetur: acido nitrico a basi acidum hydrojodicum sejungitur, emissoque oxygenio acidum nitrosum oritur; jam prodit jodum liberum, quod quidem amylum humori additum coeruleo tingit colore. Minus acidum muriaticum, minime acidum aceticum apta sunt. Jodum sex septemve dies, postquam aegrotus medicamine usus non est, in urina ratione modo descripta detegi potest, quod quidem saepe observavi. Cantu Jodum, quod aegroti et interne et externe sumserant, salivae, sudori, lacti et sanguini admixtum esse animadvertit. Quod ad sanguinem attinet, Brennenscheidt, unguento Jodi usus, medicamentum in cruore tantum, Buchanan etiam in sero sanguinis reperit.

De via ac ratione, qua Jodum effectum in organismum humanum exserat, C. H. Schultz et Buchanan peculiares opiniones proposuerunt. Schultz enim notissimo in opusculo [1]) Jodum praesertim vim ad sanguinis

[1]) Ueber die Organisation des Bluts, dessen pathologische Veränderungen und therapeutische Reactionen gegen Arzneien. Schmidt, Jahrbücher, Jahrg. 1839. T. 23. Hufeland's Journ. 1839. Januar.

corpuscula habere contendit, quibus fuscatis ac durioribus redditis aqua effectum amplius non exerceat. Hanc ob causam vis contractiva exstinguitur: corpuscula porro non contrahuntur, sed quum duriora reddita sint, impediuntur, quominus relaxentur. Hac ex re conclusio fit, respirationem in corpore vivo effectum in sanguinis corpuscula non proferre, vim formativam deminutam, perturbatam saltem, sed ex antagonismo vim resorptivam auctam esse. Illa opinio, ingeniosa quidem, hypothetica tantum est nec argumentis satis firmata, quare eam commemorasse sufficiat.

Buchanan purum Jodum tubum intestinalem, in cujus parietes localem modo effectum proferat, erodere, sed effectum in alia corporis systemata ex acido hydrojodico, in quod Jodum mutetur, pendere contendit, ita ut omnis effectus aut acidi resorptione, aut inflammatione et ulceratione in tractu intestinali provocatis exoriatur. Quamquam Jodum cum hydrogenio tantam affinitatem alit, ut plurimis hydrogenii connubiis decompositis acidum hydrojodicum fingatur, tamen thesin, quod quidem Buchanan fecit, proponere non licet, effectum quemque bonum huic mutationi in acidum, quemque malum inflammationi seu ulcerationi tribuendum esse. Jodum, magnis sumtis dosibus, intestina erodit, quod quidem infra demonstrandum est; sed loco superiori magnum vidimus effectum, si parvis tantum tincturae dosibus usi sunt, unde sequitur, parvas etiam, acidi hydrojodici doses eandem vim magnam ad organismum habere. Sed Buchanan, maximis tantum dosibus usus celeriorem effectum non protulit; porro, si cum Buchanan consentimus, salutarem vim ex acido hydrojodico tantum pendere, non

intelligendum est, medicamen, quod parvis sumtis dosibus, quae magnam habeant vim, salutarem tantum effectum exserere, magnis adhibitis dosibus, ne unum quidem proferre malum. Has ob causas Buchanan non assentior; accedit adhuc, viri docti opinionem parvi tantum pretii esse, quod ne acido hydrojodico quidem puro usus sit; nam, ut dissolutionem caveat, acidum hydrojodicum in amyli solutione sumi jubet. Hoc modo joduretum amyli (amylum jodatum) formatur, nec discernendum est, uter effectus acido hydrojodico tribuendus sit, uter jodureto amyli. —

§. 4.

Intoxicatio acuta.

Jodum, si magnae doses uno tenore sumuntur, acris veneni vim habet. Tubus intestinalis eroditur et mors propter sequentem inflammationem atque ulcerationem sequi potest. Huc experimenta illa supra relata pertinent, quae Seiler, Orfila, alii in animalibus instituerunt, sicuti complures casus, qui in hominibus observati sunt. John magnam (quantam, non narrat) tincturae dosin sumsit, et statim vehementissimi alvi dolores, vomitus, faeces creberrimae ac sanguinolentae, pallor, frigus, tremor, sudor frontis et pulsus plenus exorta sunt. In alio casu tincturae drachmae duae et dimidia exhaustae sunt, quam dosin sensus ardoris et siccitatis in pharynge, pungentes in ventriculo dolores et inanis vomendi contentio exceperunt. Hora interjecta nova apparuerunt signa: facies horrida, dolores vehementissimi, convulsiones. Uterque aegrotus convaluisse videtur, cum de sectione sermo non fiat; sed in animalibus sectiones

institutae sunt, qua occasione haecce sunt inventa: ventriculi interior superficies tegumento crasso, tenaci, luteo inducta erat; in cardiae regione ulcera, circa magnam ventriculi curvaturam maculae subflavae et subfuscae erant; sub tegumento illo membrana et mucosa et muscularis inflammata erat. Pulmones collapsos, hepar, splenem, vesicam urinariam mutata non invenerunt.

Sane mirum est, quod Magendie, magnis usus dosibus, neque in hominibus neque in animalibus effectum viderit. Vir doctus ipse tincturae cochlear minus hausit nec detrimentum cepit; Gully tincturae drachmas tres quotidie sine ullo damno sumsit; alii permagnis usi dosibus detrimentum non acceperunt. Tantum abest, ut narratis assentiamur, ut experimentum a Magendie institutum incredibile et falsum esse nobis videatur. Magendie enim cuniculo tincturae drachmam venae se immisisse, neque detrimentum vidisse ait, quod omnibus physiologiae legibus repugnat. Jodi vim, quam Joerg et amici observarunt, quorum experimentorum pretium in consensu positum est, si cum effectu comparamus, quem Magendie et Gully protulerunt, summam opinionum dissensionem exortam videmus. Sententiarum inter se pugnantium causas Riecke disertis verbis exposuit, quo teste causae multis in rebus quaerendae sint. Seu praeparatum corruptius et antiquius fuit, praesertim in quibus casibus tinctura adhibita est, quam ut vim haberet; seu maxima medicaminis pars vomitu amota est, seu Jodum cum amylo sese conjunxit, quo connubio remedii neutralisatio effecta est.

Optimum antidotum amylum est; inflammatio consecutiva methodo antiphlogisticae, spasmi et convulsiones opio, morphio acetico, enematibus emollientibus cedunt.

§. 5.

Intoxicatio chronica.

Simili modo atque aliis remediis intoxicatio chronica oritur, quum Jodum per longius tempus incaute nec accurate sumatur, cujus quidem intoxicationis minor gradus jodismus nominatur, major cachexia jodica.

a) Jodismus.

Tempus aliquod venit, quo organismus, ut ita dicam, Jodo saturatus est, quo in statu Jodi effectus salutaris desinit, sed malignus in lucem prodit. Hydrarygrum si sumi jubemus, oris et glandularum salivarium status de longiore usu certiores nos facit; Jodum per longius tempus adhibitum esse, teste Wallace urina nos docet, quae quidem urina, amylo addito, nigrum praebeat colorem. Sed color pro certo signo haberi non potest; pro certiore, auctore Gairdner tremor habendus est. Tremor ille primum manum comprehendit; quare status intoxicationi saturninae simillimus est; porro brachia, pedes, dorsum sensim corripiuntur. Aegrotus, tali statu laborans, aegre tantum ire valet; titubans incerte nec firmiter incedit. Cibos linea recta ad os adducere non valet: manus huc illuc obliquata, anfractuose tantum movetur, et vix ad scopum pervenit. Praeter illa symptomata alia in conspectum veniunt: tussis sicca, agrypnia, vires minutae, oedema pedum, quae quidem signa vim reciprocam ad systema vasculosum habent, quum palpitationes cordis et pulsus acceleratus appareant.

Gairdner in alium etiam symptomatum ordinem animum attendit, quae symptomata illis intoxicationem acutam sequentibus haud dissimilia per longius tempus durant. Vehementissime enim et continue aegroti vomunt, acutissimis doloribus in ventriculo et intestinis cruciantur, quos spasmi et convulsiones, interdum per menses aliquot durantes, insequuntur. Intestinorum functio valde perturbata est, quum aegroti alvo aut cita aut obstructa laborent. Haec, quam modo descripsi, jodismi species majus periculum affert quam illa, nec raro mortifera est.

Remedia sunt lac, praesertim asininum, enemata emollientia, infusum valerianae, chinae, antispasmodica et ammonium carbonicum pyro-oleosum.

b) Cachexia jodica.

Discrimen, quod inter jodismum et cachexiam jodicam exstat, parvum est; symptomatibus illis modo descriptis praesentibus, si medicamentum non seponatur, vel si organismus Jodo nimium saturatus sit, tristis iste status, quem cachexiam jodicam nominamus, oritur, cujus imaginem delineare paginis sequentibus conabor.

Quod ad symptomata in vita vegetativa attinet, ea secreta minuta esse videmus, quae parvis dosibus per breve tempus sumtis aucta observavimus, sed simul adeps resorbetur et excreta augentur. Saliva et mucus rarescunt, quare os et pharynx sicca fiunt; intestina muco intestinali egent, bili abundant. Corpus noctu sudore creberrimo et uberrimo manat; cutis helvo colore imbuitur, cujus coloris causa fortasse in eo quaerenda sit, quod carbogenium antea ad adipem formandum collatum, cute

nunc secernitur; urina, adipata membrana instructa, copiosius mittitur. Nec minus adeps consumtus e macie magis magisque aucta patet. Sanguinis, cruore et fibrina egentis, circulatio per corpus tarda est, quod e pulsu parvo ac debili, cutis turgore minuto et livore circa labra concluditur.

Effectus, quem cachexia in irritabilitate profert, e turgore vitali minuto motuumque depressa vi patet. Brevi aegroti fatigantur, levissimi motus vires exhauriunt, sicut motus illi, voluntati non subjecti, minuuntur tardique fiunt.

Non est, cur miremur, quod tanta corporis perturbatio magnum in nervorum organis centralibus provocet effectum. Sensibilitas magna, morbi initio praesens, breve post tempus summae animi depressioni cedit, e qua perpetua anxietas, assiduus fletus, somnus inquietus ac gravia somnia exoriuntur, quo statu vires magis magisque consumuntur. Nec minus medulla spinalis correpta est, qua de causa perpetuus tremor sensim omnes corporis partes occupat. Medicamen nisi seponatur, signa modo descripta augentur; tandem aegroti tabi nervosae sic dictae succumbunt.

Medici, quibus sectiones instituendi occasio data est, adipem prorsus defuisse, organa ac telas languisse et glandulas vel defuisse vel minutas esse narrant.

PARS ALTERA.

Jodi usus therapeuticus.

Joerg experimentis de Jodi effectu institutis haecce addit verba: „Quis est, qui praeclarum illud remedium intra strumam sanandam terminet? Plerumque Jodum alvi morbos, intestinorum atoniam, morbum scrophulosum aliosque sanabit. Summi medicis erit usus eo in statu, in quo vegetativae vitae actiones suppressae morbos cum minuta vi vitali conjunctos efficiant." Quaecunque Joerg praedixerat, ea plane exitum habuerunt, nam Jodo medici in permultis morbis ac diversissimis usi sunt, neque est, quod dubitemus, quin in multis aliis praeclarum illud remedium adhiberi possit.

Jam eos nominare morbos, in quibus plerisque medicis testibus Jodum revera usui fuit, simulque nonnullos narrare casus, quos Ill. Romberg duce, qui magnam in illud medicamentum confert diligentiam, in schola clinica prospere sanatos vidi, in animo est; breviter tantum ceteros enumerabo morbos, in quibus a singulis modo medicis Jodum laudatum est, quae tamen laus nondum certa ab aliis etiam comprobanda videtur.

Morbus scrophulosus.

Jam ex effectu physiologico, quem primarium et secundarium supra descripsimus, Jodum, parvis sumtis dosibus, praecipuum effectum in systema chylopoëticum, magnis sumtis, in systema lymphaticum et in organa glandulosa producere vidimus. His in partibus gravissimus morbus, hodie late extensus, scrophulosus, sedem habet, contra quem aliosque morbos, qui originem e scrophulis ducunt, prosperrimo cum eventu Jodum adhibitum est.

Inde a Coindet, qui primus in hoc quoque morbo Jodum commendavit, Wutzer, Asmus, Baudelocque, Moisisovits, prae ceteris Lugol huic rei diligentiam navarunt. Lugol, Jodi solutione tamquam fonte medicato artificiali usus, aegrotos unam vel alteram ternarum Jodi copia inter se differentium solutionum bibere jubet. Praescricit:

Rec. Jodi puri grana $\frac{3}{4}$ — 1 — $1\frac{1}{4}$
Kali hydrojodici grana $1\frac{1}{2}$ — 2 — $2\frac{1}{2}$
Solve in
Aquae destillatae unciis octo.

Per aliquot hebdomades aegroti unciarum octo copiam quotidie bibunt; tertia solutione pauci tantum usi sunt. Praeter medicamenta Lugol alimenta nutrientia, enemata emollientia dari, aegrotosque frequenter ambulare jubet. In usum externum, quem cum interno conjungit, Lugol pomatum seu unguentum joduratum, cataplasmata jodurata, adeo balnea jodurata et pro infantibus et pro adultis composuit.

Balnea pro infantibus hacce forma concinnavit:

Rec. Jodi Scrupulos duos — quatuor
Jodureti Potassii Scrupulos quatuor — octo
Aquae destillatae uncias sex.
Signa. No. I. II. III. IV.

Balnea pro adultis tot medicaminum drachmas continent, quot scrupulos balnea pro infantibus.

Contraindicationes Jodum adhibendi Lugol quidem non novit, sed contraindicatio summi momenti in pretio, quod Jodum, potissimum kali hydrojodicum, novissimo tempore habet, et in eo quaerenda est. quod homines, omnibus egentes rebus et plerumque morbo scrophuloso affecti praescripta illa diaetetica, sanationi necessaria, exsequi non possunt. Quae cum res ita sese habeant, oleum jecoris aselli per longum tempus summum remedium in morbo scrophuloso manebit, non solum Jodi copia, quod quidem testibus Hopfer, Hausmann, Brandes, aliis oleo jecoris admixtum est; sed praesertim, quod oleum jecoris pro nutrimento quasi habendum per menses et annos sine ulla valetudinis detrimento sumi potest.

Morbi scrophulosi species, in qua Jodum magnum habet usum, *struma lymphatica* est. Jam dudum spongiae marinae cinerem et carbonem, nec minus aethiopem mineralem (cinerem fuci vesiculosi) optimum strumae remedium esse notum erat. Coindet qui saepissime strumas endemias observabat, primus medicos ad Jodum, principem ac sanantem spongiae marinae partem attentos fecit, quorum plurimi viro docto assenserunt. Sane Jodum in strumis sanandis medicamen verum nominandum est. Coindet contra omnes strumae species Jodum adhi-

buit, sed de Graefe primus ostendit, Jodum tantummodo simplicibus strumis lymphaticis mederi, quae quidem in glandulae thyreoideae vel telae cellulosae ambientis tumore consistant. Sed neque struma aneurysmatica neque scirrhosa Jodo sanatur, quamquam effectu in telam cellulosam ambitus minui potest. Contraindicationes, Jodi adhibendi 1. e struma inveterata et nimis magna, 2. e febri hectica vel alio statu cachectico exsistunt.

Memorandum hoc loco est, Coster Jodum cum columna electrica Voltana prosperrimo successu conjunctum adhibuisse. Eventus causam Coster in eo invenit, quod acidi polus positivus attrahentem ad Jodum vim habeat; quare, si Jodum in hac tumoris parte ponatur, columna in opposita, medicamen celerius resorberi et effectum majorem fieri vir doctus contendit. Experimentum illud accurate et caute institutum repetere operae pretium videtur.

Coindet interne tantum Jodum impendit, multis tamen in exemplis externa applicatio suffecit, vel interne et externe simul medici remedio usi sunt. Usui externo vel unguentum kali hydrojodici vel tinctura Jodi inservit. Tinctura subflavo colore cutem imbuit, sed breve post tempus prioris cutis loco nova ac splendens apparet. —

Tumores albos scrophulosos Jodo cessisse, Biett, Manson, Zink, Hanke narrant, qui quidem postremus praesertim tinctura Jodi externe usus vim satis laudat, uti in nosocomio caritatis Berolinensi tinctura optimo cum successu adhibetur. Similiter in iis morbis Jodo medici usi sunt, in quibus scrophulae in ossibus formatae sunt. Puerum spondylarthrocace scrophulosa correptum vidi, qui mense Octobri anni praeteriti incurvato tantum dorso ibat, unde summos cepit dolores. Syrupo ferri jodati

una cum fonticulo et enematibus adhibitis morbus per quatuor menses ita coercitus est, ut puer doloribus liberatus citatius et erecte ingredi posset.

Glandularum tumores, e causa scrophulosa exorti, facile Jodo cedunt, quem effectum unicum esse emolumentum, quod Jodum in morbo scrophuloso sanando afferat, sed corruptum sanguinis statum diaetetice tantum in meliorem redigi Neumann contendit. Nec in scrophulosis tantum glandularum tumoribus Jodum praeclarum remedium celebratum est, sed etiam in tumoribus aliis ex causis ortis. Asmus Jodo in glandulis induratis, adeo inflammatis bono cum successu usus est, ac nimiam glandularum secretionem, praesertim *salivationem mercurialem* coercuit.

Knod ab Helmenstreit primus de illo Jodi effectu retulit, alii prosperum eventum confirmatum viderunt. Helmenstreit quinque Jodi grana in duabus spiritus vini drachmis solvi, aquae cinnamomi uncias duas et dimidiam cum syrupi uncia dimidia solutioni addi jubet. Solutionis quotidie quatuor cochlearia majora dimidia, post quatriduum totidem integra cochlearia exhibeantur, dosiumque proportio ita augeatur, ut grana duo — quatuor — sex — octo per diem sumantur. Kluge puri Jodi loco Jodum cum natro muriatico vel kali hydrojodicum in aqua destillata solvi jubet, quum tinctura Jodi, addita aqua, ex parte praecipitetur. Multum abest, ut nonnulla exempla, in quibus prosper eventus non apparuit, ubi potius salivatio Jodi usu provocata videbatur, observationum illarum pretium, Jodique in ptyalismo efficaciam minuant. — Minor in salivatione scorbutica et in stomacace successus apparuit.

Syphilis.

Alius morbus, in quem mirificam sane efficaciam salutarem Jodum exserit, syphilis est. — Anglici medici primi hanc Jodi vim antisyphiliticam animadvertentes medicamento in syphilide et primaria et secundaria usi sunt: alii medici Anglos secuti Jodum in illo morbo adhibuerunt ac prosperrimum viderunt eventum. — Syphilidem primariam sanat Jodum, plerique tamen medici hydrargyrum praeferunt. Longe latior usus in syphilide secundaria est: hyperostoses, tophi, nodi, exanthemata brevissimo tempore evanescunt, dolores osteocopi minuuntur, aegroti antea pallidum et cachecticum ferentes adspectum in meliorem statum rediguntur. Wallace solus centum quadraginta duos hacce solutione sanavit:

Rec. Kali hydrojodici drachmas duas
solve in
Aquae destillatae unciis octo
M. D. S. Quater per diem cochlear majus.

Celeberrimum et laetissimum medicaminis eventum, Romberg duce, in clinico observavi. Virum quendam triginta annorum, ante longius tempus ulcere syphilitico primario aegrotantem, inde ex annis duobus vehementissimi dolores nocturni somno privabant; sensim in femore, haud procul a genu, hyperostosis existebat, nec tophi in fronte defuerunt. Quae cum signa secundum aetiologiam ad syphilidem spectarent, kali hydrojodici drachma in aquae destillatae unciis tribus soluta est, cujus solutionis aegrotus quotidie tria cochlearia majora sumebat. Quatuordecim diebus post dolores, novisque decem diebus

post hyperostosis illa in femore tophique in fronte evanuerunt.

In pertinacissimis syphilidis casibus Richord protojodureto hydrargyri prospere usus est. Aegrotum granum unum per diem sumere, dosinque quinto quoque die augeri jussit.

Rheumatismus chronicus.

Tertius morbus, quem Jodum sanat, rheumatismus chronicus est. Etiam hoc in morbo, gravissimis medicamentis saepe non cedente, Anglici medici primi Jodum prosperrimo cum successu adhibuerunt; novissimo tempore eventus tam laetus apparuit, ut Romberg remedium hoc in morbo specificum nominet, quod dictum exempla, quae in clinico observavi, confirmarunt.

Exanthemata chronica.

Jam ad quartam morborum speciem, dico exanthemata chronica, venimus, in quibus, quamvis Jodum non tam saepe quam in syphilide, scrophulis, rheumatismo chronico adhibitum est, tamen idem, quantum ex iis, quae Tennemann, Kennedy, Hanke, Biett observarunt, verum ac tutum medicamen esse verisimillimum est. Kennedy contra omnia fere exanthemata, pruriginem, pityriasin, psoriasin, herpetem, rupiam, eczema, impetiginem, porriginem, ecthyma, scabiem plerumque secundo cum successu; Kaczkowsky et interne et externe Jodo contra lepram inveteratam usi sunt. Biett hunc in finem prae ceteris sulphur jodatum laudat, nondum officinale, quod praeparatum non modo contra acnen inveteratam, externe applicatum, saluberrimum se praebuit, verum etiam interne

et externe adhibitum contra scabiem inveteratam. Romberg etiam sulphure jodato contra porriginem usus est. Accuratior, qua adhuc egemus, cognitio causarum et connexus exanthematum et inter semet ipsa et cum singulis corporis organis, de singulis exanthematibus, quibus Jodo mederi possimus, nos edocebit. Memorandum exemplum videtur, quod in clinico observavi. Puellae cuidam decem annorum, ceteroquin bene valenti, jam per complures menses lupus hypertrophicus in gena sinistra ortus erat, circa quem cutis indurata tangebatur. Tinctura Jodi externe adhibita partes illae induratae sensim molles factae sunt et supra lupum hypertrophicum ipsum, sensim evanescentem, impetigo granulata orta est. Impetiginis crustae delapsae hodie sunt, sed lupus hypertrophicus non rediit.

Illi, quos modo nominavimus, quatuor sunt morbi, quibus medicus, Jodo usus, mederi valet; jam restat, ut de aliis verba faciamus, in quibus Jodum prospere quidem adhibitum dicitur, sed ubi effectus salutaris plerisque medicis testibus firmatus non est, vel ubi observationes singulae tantum ac segregatae exstant, quae ut verae cognoscantur iterum instituendae sint.

Huc pertinent, quae nonnulli medici de Jodi effectu in nervorum morbis, exempli gratia in chorea St. Viti, epilepsia aliisque narrant. In uno exemplo Jodum tamquam medicamen contra hemiplegiam laudatur, sed in morbi historia, permagnam strumam sanguinis per cerebrum decursum impedivisse, plexumque brachialem compressisse commemoratur. Cessante causa cessit effectus.

Eadem de hydrope valent; Jodum diureticam vim habet, sed cum hydrops e causis maxime diversis originem ducat, Jodum partium, quae hydropem efficiant, morbos sanare valet, qua de causa tamen remedium contra hydropem nominari non potest. Dr. Manson quidem adeo novies surditatem incipientem se sanasse dicit; cujusmodi observationes minimi, vel potius nullius esse pretii, quis est qui non intelligat?

Majoris momenti observationes illae esse videntur, quas Sauer in typho abdominali sanando de Jodi effectibus instituit. Sauer aegrotos centum triginta sex, typho abdominali correptos kali hydrojodicum hacce forma sumere jussit:

Rec. Decocti mucilaginis Salep uncias sex
Kali hydrojodici drachmas duas usque ad unciam dimidiam
M. S. Ternis horis cochlear majus.

Sauer prosperrimum apparuisse eventum narrat, sed observationes repetendae sunt.

Adjungitur usus in febri puerperali, quem in Ill. Schoenlein clinico prosperum vidi.

Denique Jodi usus in typho maliode memoria dignus videtur, cujus morbi duos casus in libro infra notato inveni [1]). Auriga quidam in curandis equis aegrotis typho maliode correptus et contagione labefactatus in nosocomium ducitur. Calomelane usus in salivationem mercurialem incidit, qua de causa tinctura Jodi advocatur. Miro modo praeter omnem exspectationem pustu-

---

[1]) Archive générale de médecine. 4 Série. Tome I. Vergl. auch Medicinische Zeitung für Preussen. Jahrg. 1842. No. 9.

lae nonnullae sponte exarescunt, neque novae priorum loco oriuntur. Quae cum ita sint, aurigam porro Jodum sumere medicus jubet; post sex hebdomades vir sanatus nosocomium reliquit. Quatuor mensibus post ex refrigerio auriga in eundem morbum incidit; iterum pustulae, prioribus similes, exsistunt iterumque prosper Jodi effectus apparet, sed suspenso medicaminis usu novae oriuntur pustulae. Sane dolendum est, quod observatio usque ad finem perduci non potuit, nam auriga venenum sibi dari opinatus et medicamenta sumere recusans mortuus est.

Aliud exemplum, quo aegrotus revera sanatus est, Monneret narrat. Sane Jodum contra morbum illum maxime periculosum in usum vocare operae pretium est.

VITA.

Natus ego sum, Rudolphus Vogel, die quarto Id. Octbr. anni hujus saeculi vicesimi primi Hettstadii, patre Theophilo Ludovico, rerum sacrarum ministro, et matre Carolotta e gente Berger, quos hodieque Deus benignus mihi servavit. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis in schola urbis patriae imbutus, scholam adii Portensem, quae hodieque directore Kirchner floret, cui viro Clarissimo, uti omnibus scholae praeceptoribus, maximam debeo gratiam.

Cursu gymnasii absoluto, maturitatis testimonio instructus mense Majo anni MDCCCXLII civibus instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus sum. Per quadriennium hisce interfui Illustrissimorum et Celeberrimorum virorum lectionibus:

Cel. Beneke de logice et de psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia generali, de historia medicinae et pathologia historica, de Celsi libris; Ill. Link de botanice et de historia naturali; Ill. Schultz de botanice medica et de physiologia plantarum; Ill. Lichtenstein de zoologia generali, cujus quoque exercitationibus zoologicis interfui; Cel. Turte de physice et de pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia et organica et anorganica; Ill. Dove de meteorologia; Ill. Schlemm de osteologia, de syndesmologia, de splanchnologia et anatomia organorum sensuum; Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum et pathologica et comparata, de physiologia; Cel. Eck de therapia generali, de semiotice; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Romberg et Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Casper de arte formulas rite concinnandi et de medicina forensi; Cel. Froriep de arte fascias imponendi; Cel. Troschel de ossibus fractis et luxatis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Cel. Boehm de aciurgia; Cel. Schmidt de arte obstetricia.

Practicis exercitationibus me instituerunt: Ill. Mueller et Ill. Schlemm arte cadavera rite secandi, Cel. Boehm operationibus in corpore mortuo faciendis; Cel. Schmidt exercitationibus obstetriciis; Ill. Casper exercitationibus medicis forensibus et explorationibus in vivis et corporibus mortuis; Cel. Wolff, Ill. Schoenlein et Ill. Romberg in clinicis medicis; Ill. Juengken et Ill. Dieffenbach in clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES.

1. Vera medicaminum vis ex experimentis in animalibus institutis cognosci non potest.
2. Experimenta circa medicaminum vim non ab uno, sed a compluribus simul instituenda sunt.
3. Phthisis pulmonalis non antiphlogisticis, sed roborantibus medicamentis sanatur.
4. Tres de vulnerum letalitate interrogationes e medicina forensi rejiciendae sunt.